



1735,5 5

PERVETVSTÆ ACADEMIÆ ERFFVIRTH.
RECTOR
JAM
FACVLTATIS JVRIDICÆ
DECANVS,
TOBIAS JACOB
REINHARTH,

JCTVS, RELIQVA,
AD AVDIENDAM
LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. 3. C. de Rob. Cred. & Jur. ej.

ET

DISSERTATIONEM INAUGVRALEM
AD DIEM XIX. JANVARIII MDCCXXXV.
LECTOREM BENEVOLVM
HVMANISSIME INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

+

Handwritten text, mostly illegible due to fading and bleed-through from the reverse side of the page.



Cunctis fere, qui scribendis componendisque Jurisprudentiæ systematibus, nec non commentariis animum intenderunt, solemne est, ut in doctrinâ de Juramentis tres ejusdem species recenseant: *Voluntarium* scil. *judiciale* & *necessarium*; Hoc ultimum non solum definiunt, quod à giudice parti alterutri defertur, atque necessario præstandum, nec referri unquam potest; sed quoque illud in *Suppletorium* & *Purgatorium* subdividunt, *hocque* ad elidendam, quam quis incurrit suspensionem, *illud* vero ad suppleendam probationem saltem semiplenam pro alterutro militantem, tendere censent. Sententiam quidem eorum ut morer, quibus prior divisio trimembris ex JCTI CAJI effato (1) qui duabus tantummodo Jurisjurandi speciebus contentus esse videtur, displicet, eo minus operæ erit pretium, quo magis, AZONE (2) teste, hæc dissensio non adeo magni momenti est, & magis lusum in vocabulis involvit, quam ad rem ipsam pertinet, contra vero sola inscriptio tituli *II. L. 12. ff.* non duarum, sed trium Juramenti prælaudatarum specierum mentionem conceptis verbis injicit. (3) Sed majorem illa, quæ de Juramento *suppletorio*, suboritur inter JCTos controversiâ, disquisitionem meretur, utrum scil. illud, ea, qua supra definitum fuit, & usu fori hodierno admissum, ratione, sit juramenti necessarii species, & in Jure nostro Civili & Justiniano fundamentum

) (2

-
- (1) *L. 1. ff. de Jurejur.*
 (2) *Summa Cod. de Reb. Credit. & Jurejur.*
 (3) *Rubic. tit. 2. ff. L. 12. de Jurejurando sive voluntario, sive necessario, sive judiciali.*

tum habeat. Plerique sane in eo sunt, ut affirmati-
 vam pro aris & focis propugnent, huncque in finem
 inter alios textus & argumenta ad auctoritatem CA-
 JI (4) & Imp DIOCLETIANI & MAXIMINIANI (5)
 provocent, quorum ILLE sic effatus: *Solent enim judi-
 ces in DVBIIS CAUSIS, exacto jurejurando secundum eum
 judicare, qui juraverit. HI vero ita rescripserunt: In
 bonae fidei Contractibus, nec non etiam in ceteris causis, IN-
 OPIA PROBATIONVM, per judicem JUREJVRANDO cau-
 sa cognita rem decidi oportet.* De suppletorio hiscé in
 textibus sermonem esse, ac per *dubias causas & inopiam
 probationum SEMIPLenam PROBATIONVM* subintelligi,
 iis, qui ita sentiunt, adeo manifestum est, ut de veri-
 tate hujus asserti ne dubitare quidem fas esse existi-
 ment; quos inter ad STRUVIUM, (6) STRYCKIUM, (7)
 VINNIUM, (8) HYBERVM, (9) GONZALEZIVM TEL-
 LEZIVM, (10) CHRISTINÆVM (11) præter ceteros in-
 finitos provocasse sufficiat. At alii ex mero errore
 Pragmaticorum hanc assertionem propullulasse &
 in fora irrepsisse, sed suppletorium, non in casu *semi-
 plene* probationis, sed tum demum secundum prælau-
 dados aliosve Juris Civilis textus locum sibi vindicare
 asserunt, quando par quodammodo utriusque partis
 per probationem facta fuit causa, ut judicis animus ita
 fluctuet, ut, quid ex omnibus sequendum, nesciat; Hu-
 jus sententiæ assertores principes sunt DVARENVS, (12)

AN-

-
- (4) L. admonendi 31. ff. de Jurejur.
 (5) L. 3. C. de Reb. Cred. & Jurej.
 (6) Evolut. Controv. Exerc. XXVIII. ibesf. 5.
 (7) Dissert. de Semiplena probat. Cap. 1.
 (8) Select. quest. L. I. Cap. 44.
 (9) Prælect. Pand. tit. de jurejur. §. 12. seqq.
 (10) Commentar. ad C. 2. X. de probat. §. 7. P. 388. T. II.
 (11) Vol. III. Dec. II.
 (12) L. 2. Amiv. Disp. Cap. XXXIII.

ANTON. FABER, (13) DONELLVS, (14) GERARD. NOODT (15) cum pluribus aliis, quos adduxit Vir Cl. HEINECCIUS (16) qui, utut egregiis rationibus posteriorem hanc muniverit sententiam, atque cunctis objectionibus satis solide iverit occursum; Nihilo tamen secius infitias iri nequit, in toto Imperio contrarium ita consuetudine inveterata & moribus, a quibus nunc recedere fas non est, invaluisse, ut juramentum suppletorium a Judice non solum possit, sed quoque debeat deferri toties, quoties sic dicta semiplena ab alterutra parte prostat probatio (17) Qua vero prudentia, quave circumspicione recepta nunc hac doctrinâ id fieri oporteat, idem Vir Cl. HEINECCIUS ad quem ne actum agam, me remitto, satis dilucide non solum proposuit, sed quoque de hujus juramenti indole occasione L. 3. C. de Reb. Cred. & Jurej. ex instituto plura differet

NOBILISS. ET DOCTISSIMVS
CANDIDATVS

DN. CHRISTIAN GOTTLIEB SEHM,

de cujus Natalibus & studiorum cursu & progressu statutorum more quadam mihi differenda veniunt. Vitam ingressus, *Cygnæ* in Misnia, d. VII. Decembr. anno presentis Seculi *tertio*, natus parentibus piis atque honestis: *Patrem* quippe habuit Dn. ZACHARIAM SEHM,

-
- (13) *de Error. Pragmat. Decad. 19. Error. 1. § L. 4. t. 1. def. 4. n. 5. in Cod.*
(14) *Comment. Jur. Civ. L. 24. C. XI.*
(15) *Commentar. ad ff. L. XII. r. II. p. 287. Tom. II.*
(16) *Dissertat. Francof. M DCC XXX. habitâ; de Lubricitate Jurisjur. suppletorii.*
(17) ZAVNSCHLIFFER *de Offic. Jud. supplet. P. 2. Concl. XII. §. 3. n. 1. p. 103. MEVIUS P. 3. dec. 417. §. 8. dec. 368.*

SEHM, *Notarium Publ. Caf. atque in diverſis Nobilium Ju-*
dicis Directorem, qui jam A. MDCC X. fatis conceſ-
ſit; Matrem vero MARIAM, ex VIEHEWEGTORVM fa-
milia ortam, quam in hunc uſque diem pie venerari
poſſe inter præcipua divinæ clementiæ beneficia referit.
Proborum horum Parentum cura omnis in eo ſita
erat, ut filius, quamprimum ætas permittebat, cum
literis & artibus, tum vero maxime pietati & bonis
moribus rite imbueretur, quem in finem eundem in
ſcholam Patriæ miſerunt, in qua prima rerum harum
elementa, imbibit; Mox autem modo dicti Parentes eum
privatæ informationi MICHAEL. SEYFFERTI, ſub directio-
ne Plurim. Rev. Dn. M. GOTTHARDI SCHVSTERI, *Eccle-*
ſiæ S. Catharinæ illo tempore, hodie B. Mariæ Virg. Proto-Dia-
coni demandarunt. Aſt ob præmaturum Patris obitu-
m Matri neceſſitas injuncta eſt, eum ſcholæ patriæ
concedere, in qua ab A. MDCC XI. uſque ad A.
MDCC XXII. fideliffimos Præceptores ſucceſſive ha-
buit SPERLINGIVM, *Baccalaureum*, JOH. GEORG. SCHRE-
GERVM, *Collegam IV. & B. Mariæ Virg. Cantorem*, JOH.
MART. STEINDORFFIVM, *Collegam V. & ad S. Catharinæ*
Cantorem, M. CHRISTOPH. BRÜCKNERVM, *Collegam III.*
M. MICH. EHRENFRIED KRAVSIUM, *Conrectorem, hu-*
juſque Suceſſorem M. CHRISTIAN. FRIDERICVM MAR-
TINI, imprimis vero Dn. M. GEORG. ANDREAM VIN-
HOLDVM, *Reſtorem*, quorum omnium indefeſſam in-
duſtriam & laborem grata adhuc agnoſcit & deprædi-
cat mente. Hinc ad Academicas lectiones legitime
dimiffus *Lipſiam* petiit, ibique A. MDCC XXII. ſceptra
Muſarum tenente B. VLTRICO JUNIO, *Mathem. Prof.* in
univerſitatis Matriculam, uti vocari ſolet, relatus eſt.
Vitam hîc non tranſegit otio aut ignavia, ſed per qua-
driennium, quo commoratus eſt ibidem, tam Philoſo-
phiæ, quam Jurisprudentiæ ſtrenuam navavit operam:
Illam eum docuit Dn. M. GODOFREDVS POLYCARPVS
MÜLLER, *Poeſ. & Eloquent. Prof. Publ. Extraord. jam Zit-*
tavienſis Gymnaſii Reſtor meritiffimus, privatim ſuam Phi-
loſophiam

Josephiam superioribus Facultatibus accommodatam explicans. In acquirenda autem Jurium notitia ex multorum doctissimorum Interpretum ore pependit, qui in lectionibus partim publicis, partim privatis in illa egregie commentati sunt: Privata enim frequentavit Collegia Dn. D. JOH. FRID. OLEARII ad Hoppii Exam. Institut. Imp. Justin. B. Dn. D. FRIDERICI PHILIPPI, *Fac. Jurid. quondam Senioris*, Synopsis Institutionum, quam ipse ediderat, explicantis, Dn. D. GEORG. ANDR. JOACHIMI ad Compendium Lauterbach. Dn. D. GEORG. ADOLPHI SCHVBARTI, ad Luderi Menckenii usum Theoretico Pract. Instit. Justin. Dn. D. CAR. OTTONIS RECHENBERGII, *hodie Ordinarii*, ad Schöpferi Synopsis Juris privati, Dn. D. CHRISTIANI WEIDLINGII, *Jur. Feud. Prof.* ad Stryck. Exam. Juris Feudalis, Dn. D. GOTTL. WILH. DINCKLERI, *Professoris Juris Saxonici*, ad Mylii Nucleum Digestorum, aliorumque. Inprimis vero integrum *Jurisprudentiæ Cursum* emensus est duce Dn. D. CAROL. MATTH. DEGENERO, & sub manu ductione prælaudati Dn. D. JOACHIMI in *Collegio Elaboratorio practico* per anni spatium ad praxin sese præparavit. Neque Collegia publica neglexit, inter quæ B. LVDER. MENCKENII *ad Schilteri Institut. Juris Canon.* ipso fatente, primas tenuit. Examen quoque, quod *Notariis Publicis Cæsareis* subeundum est, jam A. MDCC XXIV. sustinuerat, huicque demum Musarum sedi A. MDCC XXVI. valedixit. Postea Lichtensteinii in Comitatu Schönburgensi in *Illustri WEISSENBACHIANA* domo formandæ juventuti per biennium præfuit. Tandem eum, quem sibi in omni studiorum curriculo proposuerat, finem consequi cupiens, in patriam ad fratrem carissimum Dn. CHRISTIAN. WILH. SEHM, *Advocatum felicissimum* se recepit, eique per aliquot annos in praxi adstitit, adeoque ea, quæ ex tot tantisque Viris perceperat, applicandi commodam satis nactus est occasionem. Exantlatis ita feliciter laboribus & studiis Academicis atque prælaudatis agitur exercitiis, e

re sua esse duxit, studia sua Ordini nostro mediantibus literis, quas exhibuit, petitoriis, eo fine offerendi, ut iudicarem, an dignus esset, cui Doctorales honores ac Privilegia conferrentur; Annuimus desiderio huic satis honesto, ac ex Resolutione textuum ex utroque Jure eidem communicatorum non minus, ac Responionibus in examine rigoroso nobis datis, satis superque intelleximus, non perfunctorie, sed ita *Nostrum* in Jurisprudentia navasse operam, ut dubitandi causa non subfuerit, cunctis suffragiis eidem petitos honores supremos Academicos impertiendi, eumque in finem, ut, quæ reliqua sunt, specimina publica edat, cathedram Juridicam aperuimus, ex qua futuro die *decimo nono Januarii Legem 3. C. de Reb. Cred. & Jurej.* interpretabitur, ac meo sub moderamine

DE
VENIA ÆTATIS

Dissertationem, quam mihi a se ipso compositam exhibuit inauguralem, contra dissentientes defendet, quibus actibus ut *Reverendissim. & Per-Illustris Dn. PRO-CAN-CELLARIUS*. Patres conscripti, reliquique, qui studiis nostris favent, celebritatem præsentia sua gratiosa & honorificâ conciliare non dedignentur, ea, quâ fas est, humanitate contendo. P. P. Erfordia, sub Sigillo Facultatis Jurid. Dominica II. post Epiphan. d. 16. Januarii
M DCC XXXV.



Erft, Diss., 1735


ULB Halle 3
005 367 840



v>18







1735, 5

PERVETVSTÆ ACADEMIÆ ERFFVRTH.
RECTOR
JAM
FACVLTATIS IVRIDICÆ
DECANVS,
TOBIAS JACOB
REINHARTH,

JCTVS, RELIQVA,
AD AVDIENDAM
LECTIONEM CVRSORIAM

ad L. 3. C. de Reb. Cred. & Jurej.

ET

DISSERTATIONEM INAVGVRALEM
AD DIEM XIX. JANVARIJ MDCCLXXXV.
LECTOREM BENEVOLVM
HVMANISSIME INVITAT.

ERFORDIÆ,

Typis JOH. CHRISTOPHORI HERINGII,
Acad. Typogr.

